

8.54.30

*Imp. Leo A. Constantino pp.*

In hac sacratissima urbe conscriptae donationes ubicumque positarum rerum apud magistrum census insinuentur.

1 ¶ In aliis vero civitatibus, sive absens sive praesens rector provinciae sit, sive eadem civitas habeat magistratus sive non habeat et defensor tantummodo sit, donator habeat liberam facultatem donationes rerum suarum ubicumque positarum sive apud moderatorem cuiuslibet provinciae sive apud magistratus sive apud defensorem cuiuscumque civitatis prout maluerit publicare. Atque ut ipsa donatio sita est in voluntate donantis, ita ei liceat donationem suam apud quemcumque ex memoratis voluerit intimare.

2 ¶ Et hae donationes, quae in diversis provinciis et civitatibus apud quemlibet ex praedictis fuerint publicatae, obtineant inconcussam ac perpetuam firmitatem.

*D. V non. Mart. Constantinopoli Patricio cons.*

[a. 459]

8.54.31

*Imp. Zeno A. Sebastiano pp.*

In donationibus, quae actis insinuantur, non esse necessarium iudicamus vicinos vel alios testes adhibere. Nam superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant.

1 ¶ Verum et alias donationes, quas gestis non est necessarium adlegari, si forte per tabellionem vel alium scribantur, et sine testium subnotatione valere praecipimus, ita tamen, si ipse donator vel alius voluntate eius secundum solitam observationem subscripserit: donationibus, quae sine scriptis conficiuntur, suam firmitatem habentibus secundum constitutionem Theodosii et Valentiniani ad Hierium praefectum praetorio promulgatam.

*D. k. Mart. Constantinopoli Ello vc. cons.*

[a. 478]

8.54.32

*Imp. Anastasius A. Euphemio pp.*

Secundum divi Leonis constitutionem donationes apud virum clarissimum magistrum census tantummodo insinuari praecipimus, huiusmodi forma in illis instrumentis observanda, quae in hac regia urbe confecta seu celebrata fuerint: nec concedi quemquam vel apud defensores seu magistratus aliarum civitatum vel in aliis quibuslibet locis praeter memoratum iudicium insinuare: scientibus tam bis qui ad huiusmodi insinuationem pervenerint quam his qui eam susceperint nec non tabellionibus, quicumque testimonium suum non in competenti (ut dictum est) loco vel iudicio praebuerint, vicenarum librarum auri multa et alia gravissima indignatione se feriendos.

*D. prid. k. Mai. Paulo vc. cons.*

[a. 496]